

COLLEGII FEUDALIS PUBLICI

Disputatio V.

DE FEUDI AMIS-
SIONE.

Quam

Trinitate unâ, & unitate trinâ divinam beni-
gnitatis auram adspirante,

*Nobilissimi & Amplissimi JureConsultorum
in almâ Salanâ Ordinis decreto & suffragio
approbante,*

PRÆSIDE

Viro Clarissimo & Consultissimo

Dn. JOANNE SUEVIO J. U. D. PAN-
dectarum Professore Publico, Curia provincialis &
Scabinatus Adfessore, Præceptore suo perpetim colendo;
Censuræ ac Examini subjectam.

PUBLICÆ

pro viribus defendere conabitur

JOANNES BLEYMOLLERUS,
Plautensis, Variscus.

*Idibus Quinciliis, in celebri Ictorum Auditorio,
Horis consuetis.*

J E N Æ

TYPIS TOBIÆ STEINMANNI,

ANNO *1609* *χρ̄ιστογ̄εν̄ε̄ας̄* votivo:

O IesV, nostræ Da partIs; & artIs aMICOs.

1609, 2

12

15



VIRIS

*Verà Artis & Martis Nobilitate, ingenitã antiqui Ge-
neris profapiam superante, fulgentibus,*

Dn. JOACHIMO à DöLA in Ruppertsgruen/Principis
Illustriff. & Celsiff. Dn. CHRISTIANI II. Electoris Saxo-
niæ potentiff. &c. Confiliario Aulico, digniffimo.

Dn. BENNETH à WÄZDORF in Neuth/
supremo ejusdem Elect. Sax. Tributorum Præfecto, specialiç; in va-
riis, iisç; arduis negotiis per Voithlandiam expediendis Com-
missario, eiç; vigilantiffimo,

NEC NON

Magnificis, Clariffimis, Ampliffimis,

Dn. D. FRANCISCO ROMANO, in Muckerschau-
sen, JureConsulto excellentiffimo, Electoris Sax. Legato & Con-
filiario meritiffimo, nec non Curia Provincialis apud Lipsen-
ses Assessori, ac Facultatis Juridicæ ibidem Professore
primario.

Dn. BARTHOLOMÆO GOLNITZ, J.U.D. & Cu-
ria Provincialis inibi Advocato eminentiffimo, ac Academia
Syndico celeberrimo,

Dn. JACOBO SALFELD, Illustriff. Duc. Vinariens.
Quæstori in Zwickhen fideliffimo, Juris peritiffimo;

*Omnibus & singulis, Dominis Patronis & Fautoribus meis fiducia-
riis, æviterno officiosæ pietatis & observantiæ cultu pro-
sequendis &c;*

Subjectiffimè nudum hunc juris abortum fovendum mitto, in-
dubitata fidei tuendum committo, benignamç; residen-
tis gratia auram sibi mihiç; exoraturum transmitto,
dico, dedico

Respondens, Author.



DISPUTATIO V.

Συνέχεια.

DE legitima Feudi acquisitione, & con-
servatione in Disput. præced: In præ-
sentiariū, jure, de ejusdem amissione agemus.

*Text. 1. F. 5. Nam nihil penè in semetipso
manet, sed currit natura, semper multas evol-
vens mutationes, quas, neq; prævidere, facile
est, neq; prædicere: solummodò Deo, & Impe-
ratore, sequente DEUM, hæc gubernare medio-
criter, & mansuetè valente N. 69. c. 4. Ideo-
que non abs re fuerit, præviâ gratiæ divinæ fa-
ce, Imperatoris nostri augustissimi, ἐμπειρία, ἰσο-
γία, αἰσθησι καὶ ἐπαγωγῆ nitentis, DEOq; confidentis,
vestigis insistendo, contrariis juxta se positis, ve-
ritatem in profundo demersam eruere, arg. t. 12.
& 22 lib. 1. t. 17. & 21. lib. 2. t. 30. lib. 3. Inst. &
passim alibi in jure. τὰ ὄναντία παράλληλα μάλλον
φαίνονται. Aristot. 3. Rhetor. Undè frequens est
Baldi adagium in l. precibus C. de impub. & al.
subst. ferro aperire viam, qui per contraria
transit. Conf. pluribus Matth. Grib. Moph. de
rat. stud. lib. 1. c. 6. Vult. lib. 1. de Feud. cap. 11.
num. 1.*

A 2

THE-



THESIS I.



Acturus à Definitione (a) initium, pu-
to (b) quòd amissio feudi, (c) in Ge-
nere (d) sic dicta, sit vel rei, vel usus-
fructus feudalis, (e) sive per culpam,
sive sine culpa (f) privatio. (g)

(a) Omnis enim, quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à Definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur. Cic. 1. off. Cuius vestigia legit Imperator Iustinian. pr. t. 1. 2. 4. 16. lib. 1. Inst: t. 4. lib. 2: t. 14. lib. 3. & aliàs sæpissimè.

(b) Salvo aliorum meliùs sentientium iudicio. Cùm enim Definitio amissionis in jure feudali sit omissa, aut certè amissa, hâc, donec perfectior offeratur, contentus ero, non immemor l. omnis definitio. 202. ff. de R. I. & vulgati illius: Quod ignoramus, juxta vulgare ponamus. Bl. in l. maximum. C. de lib. præter.

(c) Vocabulum feudi restringit generalissimam amissionis vocem l. 33. ff. ad L. Aquil. l. 83. ff. de R. I. l. 4. §. 10. ff. vi bon. rapt. l. 5. de cap. minut. Philip. Melanth. lib. 4. Dial. in loc. privativè Opposit.

(d) Cùm enim Nomen amissionis sit $\omega\lambda\upsilon\sigma\eta\mu\omicron\nu$, uti ex precedentibus, & seqq. patet, ambiguitas hâc distinctio-
ne venit ressecanda, antequàm definiatur, uti facit Iusti-
nian. in t. Inst. de I. & I. & t. seq. t. de jure pers. t. de R.
D. & similibus. Quòd facit $\omega\lambda\upsilon\theta\epsilon\rho\upsilon\lambda\eta\tau\omicron\nu$ illud: Erroris
genetrix est æquivocatio semper.

(e) Excluditur Homonymia & Metonymia vocabuli,
feudum, de quo Clariss. Dn. præses in Disp. 1. F. th. 4. pr.

(f) For-

(f) Forma seu modus huius amissionis ostenditur, quo ceu instrumento, ad hunc, vel illum Effectum producendum, jus utitur Vult. d. c. 11. n. 2.

(g) Quia Feudo antea jure & legitimè possessio privat, ut de Feudo amittendo frustra queratur, si illud jure antea non constiterit. Vult. d. c. 11. n. 1. Nam privatio non cognoscitur, non intelligitur, nisi per habitum, quem præsупponit, l. 48. & 116. ac ibi Br. de V. O. l. 4. ff. de I. & I. l. 96. de conat. & dem.

II.

Hinc extracta meritò subsequitur Divisio (a) in duas Species, (b) quarum prior, per culpam facta, Generis nomen (c) retinens, *amissio κατ' ἐξοχήν*, & in Specie; posterior, sine culpa accidens, propriè dicitur *Finitio*.

(a) Distributio enim, seu partitio, animum legentis incitat, mentem intelligentis preparat, memoriam artificiosè informat, & difficultates ex permixta traditione provenientes per separationem explicat, teste Accursio & Cic. in Top. Bellon. de argum. leg. c. 3. Rosenthal. in synopsis. feud. c. 2. Concl. 1. per §. sed ne in primis Inst. de lega. & §. hoc autem casu, quib. mod. test. infirm. Adde §. 5. Inst. de I. & I. & pr. t. 2. 8. 13. lib. 1. t. 2. lib. 2. §. 2, t. 14. & pr. t. 19. lib. 3. 2. Feud. 3. & c.

(b) διχοτομία etenim à Philosophis præsertim cateris Divisionum formulis, præsertim cum intellectu & memoriâ sit facilior. Plato in Polit. & Sophist. Arist. 1. de part. animal. c. 2. & 3. Nec entia prater necessitatem sunt multiplicanda, nisi forsân vel planè haberi non possit διχοτομία, vel non plenè, non commodè, non citra memoriæ perturbationem. Clariss. Dn. M. Heider, Praceptor & Hospes cariss. in Log. in loco Divisionis, condit. bonæ Divis. 7. Undè ICtis,

qui non adeò adstrictos se Regulis Philosophorum arbitran-
tur, vitio non vertendum, si trimembres & quadimembres
interdum Distributiones rerum varietati accommodare
cogantur, cuiusmodi in §. 1. Inst. de interd. & l. stipulatio-
num alia ff. de V. O. cum similibus, reperiuntur.

(c) Non secùs, ac fit in adoptione, in pr. Inst. de adopt:
Vnum namq; & idem vocabulum, respectibus diversis, di-
versum significationis habitum induit, arg. l. 2. ubi gl. &
Dd. ff. de off. Proconsul.

III.

Amisio Feudi κατ' ἐξοχήν & in specie dicta (a) sic
describi (b) potest, quòd sit justa, ob Domini, vel Va-
salli feloniam, seu culpam admissam (c) directi, vel
utilis in Feudo domini (d) poenæ causâ, (e) moda-
liter, & κατὰ τι, facta privatio. (f)

(a) per Synecdochen Generis, arg. §. sed jus 4. vers:
sed quotiens l. de l. N. G. & C.

(b) Cùm enim summa perfecta Definitionis sit difficul-
tas, caritas, & raritas; pro perfecta hanc venditare vere-
mur, ex causis suprâ etiam adductis th. 1. lit. b. Et sic vi-
trum saltem lambere cum vulpecula Aesopica libet, si pul-
tem attingere non licet.

(c) Causa efficiens προϋσπεύειν & suprema amisio-
nis feudi, est jus. Vult. d. c. 11. n. 2. Nec enim poena priva-
tionis imponitur, nisi jus expresse eam inducat gl. notabilis
in c. fin. de jur patron. quam ibi commendat Panorm. Text.
in c. 3. vers. sin autem N. 2: Everh. in Loc. Legal. Loco à
Simili. n. 12. limit. 6. Ius igitur justam privationis cau-
sam pro forma requirit, quam ex felonia, seu culpa, tan-
quam causâ προκαταρχτικήν metitur. Neutiquam enim sine
culpâ Vasallus semel investitus de vestiri potest l. F. 7. 17.
& 21: nisi restituto forsàn pretio l. F. 1. in fin. Et iniquissi-
mum

8
mum est, Dominò auferre, quod usus non abstulit l. 20. ff. quib. ex caus. maior. Intrigl. in tract. de Feud. q. 73 n. 1. Notetur tamen optimè, feudum ob benè merita, vel egregia servitia concessum, hanc gaudere etiam prerogativâ, ut propter nullam penitus feloniam Vasallus eo privetur, & felonia neq; ipsi, neq; eius filii, vel posteris, quoad amissionem feudi, noceat. Schrader. & ibi alleg. vol. 1. consil. 1. n. 163: & vol. 2. consil. 27. n. 110. Feloniam autem, (quam in specie pro culpâ sumi, significatione communiter approbatâ, ait Rosenth. c. 10. §. 1.) dictam putant ἀπὸ τῆς Φηλώσεως, quâ significantur imposturae, deceptiones, & fallacia Zas: p. 10. n. 2. Borch. c. 2. n. 17. Vult. d. c. 11. nu. 17: Arnold. de Reyg. Diss. Feud. 4. th. 5: vel, secundum Hottom. in Lex: quodvis capitale facinus, & scelus, quod Germani nominant Ein Schelmstück. Et sic non omnis culpa, seu causa, ex qua opinio vasalli, vel Domini gravatur, hic atro notatur calculo 2. Feud. 24. vers. illud enim certum, sed dolus & culpa lata, §. fin. 2. F. 52. §. quoniam, ibi: si vasallus non dolosè. c. un. verb. scienter. 1. F. 17. c. un. 2. F. 7. 34. in fin: & 97. in capp. xord. Rosenth. c. 10. concl. 6.

(d) Subjectum occupans, seu materia circa quam, vel in quâ amissio versatur, indigitatur, praesupposito tacitè Subjecto ω, cui adimatur. Nam dominium directum, quod est notissimum, Dominum ipsum; utile vasallum tangit.

(e) Finalis causa, quam diligenter ubiq; inspiciendâ, moment Dd. in l. 25 ff. de furt: additur. Vasallus enim delinquendo Dominum contemnens, poenam meretur c. un. 2. F. 24 in fin. arg. Auth. qui rem. C. de SS. Eccl. Nec Dominus, ex vi Correlativorū, melioris erit conditionis. Dispositum enim in uno Correlativorum, dispositū etiam censetur in altero l. fin. C. de ind. vid. l. fin. ff. de acceptil. l. 1. C. de Cupr.

Everhard.



Everhard. in loc. à Correlat. n. 3. Cui accedit arg. t. t. ff. quod quisq. juris in alt. stat. & text. express. 2. F. 47. Debet itaq. Dominus fidei suo equalem vicem reddere 2. F. 6. §. ult. qui pro coniuge ipsius habetur 2. F. 58.

(f) Effectus huius amissionis, rationem differentia inter primam, & secundam Speciem monstrat. Illa enim modaliter saltem, κατὰ τὴν, & partialiter, feudo exiit, ut ipsum quidem feudum esse non desinat; is tamen, qui ipsum possidet, amittat, per l. 14. ff. de V. S. Hæc secus facit, de qua in th. 24. Confer. post Paul. 3. sent. 6. n. 33. & 38. Vult. d. c. 11. n. 3.

IV.

Regula
Dd. Ex parte vasalli, quamvis regulariter feudum ex ingratitude (a) vel iisdem ex causis amitti putent Dd. ex quibus exhæreditatio (b) matrimonii dissolutio (c) & donationis revocatio (d) conceditur; Tamen, cum nec illa regula sit κατὰ πάντας, (e) nec exacta facilè (f) afferri possit; causas illas, docendi saltem gratiâ, in legitimas, & arbitrarias, distinguimus.

(a) 2. F. 23. & 24. Curt. jun. part. 4. de F. n. 1. Vult. d. c. 11. n. 11. Intrigl. q. 73. nu. 4. & seqq. exemplo liberti, filiis legatarii & c. ingrati t. t. C. de ingrati. libert.

(b) N. 115. c. 3. (c) l. consensu. C. de repud. (d) l. 1. & l. fin. C. de revoc. don. (e) Non enim ob omne adulteriû vasallus feudo privatur 1. F. 5: 2. F. 24. Nec ob quodlibet homicidium 2. F. 37. Clariss. Dn. Præcept. Foman. in Synops. jur. feud. th. 318. Curt. jun. part. 4. n. 77. post Duar. de F. c. 14. in fin. Nec regulariter, exemplo donatarii, vasallus Dominum inopem non alens, feudo cadit. Zas. part. 7. n. 48. Clar. §. feudum. q. 23. Curt. jun. p. 4. n. 9. Alvaros. Præpos. & Feudist. communiter in c. un. si de feudo fuer.

fuer. contro: Diss. Intrigl. q. 98. n. 203: & Hartm. Hartm.
lib. 2. obs. pract. t. de Feudis. 54. obs. 33: Schrad. in tr.
feud. part. 9. princip. c. 8. n. 10: Rittershus. in part. feud:
lib. 2. c. 1. n. 40.

(f) Text. express. 2. F. 23. vers. dummodo: & 2. F.
24. vers. sed quia. l. 16. §. 1. vers. cum multa & innume-
rabiles causa. C. de usufr. Borch. de F. c. 8. n. 3. Zas. part.
10. n. 69. qui ob id, rem lubricam, & non magnoperè
expetendam, putat, esse vasallum.

V.

Legitima, quæ legibus, seu textibus feudalibus
(a) expressæ; & certæ sunt, (b) descendunt ex culpa
vel in Dominum, committendo, (c) & omittendo; vel in
extraneum, peccante, ubi commodè se offert quæ-
stio, An absq; tali culpa Princeps, vel Pontifex, ex
plenitudine potestatis, vasallum nondum convi-
ctum feudo privare possit. N. (d) nisi concessionem
ad status everfionem tenderent. (e)

Q. 1.

(a) 1. F. 5. 13. 17. 21. 2. F. 9. 23. 24. 28. 34. 37. 38.
39. 40. 44. 47. 52. 55. 57: & 73. extraord. & c.

(b) Vult. c. 11. n. 14. & 16.

(c) Cum gravior sit, meritò preponitur culpa commis-
sionis, per ea, quæ tradit Everh. in Top. Loc. ab ordine
n. 15.

(d) I. ex alleg. th. 3. lit. C. II. Quibus adde vers.
sancimus. 1. F. 22. III. per Imperatorum & Pontif. propria
elogia. l. 2. ff. de his, qui sunt sui. l. 2. C. de precib. Imp. off.
l. 5. pr. ff. de nat. restit. l. 3. C. de resc. vend. c. 5. & 8. Dist.
10. c. 7. X. de appellat. c. sicuti. c. nos si. 2. q. 7. c. ult. Dist.
40. c. 6. Dist. 96. c. principatus. 1. q. 1. Vid. etiam gl. lib. 1.
Landr. art. 1. & 3. lib. 3. art. 57. IV. Esset contra jus gen-
tium l. 5. ff. de l. & l. 106. ff. de R. I. V. Imò contra jus

B

divinum



divinum lib. 3. Reg. 21. & 4. Reg. 9. vers. 7. & seqq. &
c. 10. vers. 5. & seqq. Ezech. c. 46. vers. 18.

(e) Rosenth. d. c. 10. concl 2. Facit c. sine culpa 23. de R. I in 6.

VI.

COMMITTENDO peccat vasallus, si, neglecto fidelitatis juramento, injuriam faciat Domino vel ἀμείσως, directò, & per (a) semetipsum, vel ἐμμέσως, per consequentias: idq; dupliciter, vel in personas (b) coniunctas, vel in bona Domini. (c) OMITTENDO, quando, facienda non facit (d).

(a) l. 1. §. 3. ff. de iniur. Idq; vergit vel ad vitam Domini, utputà; si vasallus vita Domini sui vel apertas, vel clandestinas struat insidias, si dominum assalierit, si hostes juvet, aut cum illis, in domini damnum, fœdus feriat, amicitiasq; contrahat, d. c. un. 1. F. 5. vers. similiter: 2. F. 24. vers. porrò: & 2. F. 57. Intrigl. q. 89. Vel ad famam, ut, si graves, vel inhonestas intulerit iniurias, si delator Domini sui extiterit, si illum accuset, alterive hoc suadeat, si testimonium, extra causam feudalem, spontè in eum dicat, vel, ad damnum secreta eius revelet, 2. F. 24.

(b) Si scienter Dominum cucurbitet, id est, si cum uxore eius concubuerit, vel concumbere, se exercuerit, aut cum ea turpiter lusit, aut cum filiâ, aut cum nepte ex filio, aut cum nupta filio, aut cum sorore Domini; illiq; in domo Domini adhuc manenti, quæ in capillo dicitur, se immiscuerit, 1. F. 5. vers. item si fidelis: 2. F. 24. vers. rursus: & 2. F. 57.

(c) Si castrum Domini assalierit, sciens, Dominum, vel Dominam ibi esse, c. un. vers. similiter. 1. F. 5: & vers. porrò. 2. F. 24. si feudum inornatè tractaverit, hoc est, arbores frugiferas incidendo, vel alio modo, insigniter deterius reddiderit, & à Domino suo ammonitus, non resipuerit,
in sua

in sua perdurans insolentia, 2. F. 27. §. 5. vers. quicumq;
Advocatiā: si precio, vel dolo, aut incuriā, servitutem
rei beneficiaria imponi patiatur, 2. F. 8. vers. rei autem. &
§. 1. in fin. si scienter, vel ex crassa ignorantia, feudum ac-
ceptum prorsus negaverit, vers. vasallus si feudum 2. F. 26.
& 2. F. 34. in fin. Si deniq;, Domino non consentiente, feu-
dum quocunq; modo, sciens alienaverit, c. un. vers. callidis
2. F. 8. 9. 24. in fin. 42. 52. & 55. Secus, si ignorans.
vers. si vasallus feudum, 2. F. 26. Gail. 2. obs. 48. n. 25.

(d) per l. 121. ff. de R. I. ut, si servitium facere recu-
saverit, si investituram legitimo tempore non petat, nec fi-
delitatem polliceatur, nec justiciam Domino faciat 2. F. 22.
24. & 40. pr. & §. 1. item vers. sed non est alia: & 2. F. 52:
in fin. etiam si sit Imperator, Imperat. feud. amitt. in
capp. extraord. Hoc autem procedit, quando vasallus
in contumacia per annum perseverat, non antè. Hartm.
Pist. lib. 2. part. 2. q. ult. n. 26. & nisi justam habeat
excusationis causam 2. F. 52. in fin. Causas autem
ejusmodi latè recensent Rosenth. c. 6. concl. 70. & seqq.
Borch. c. 8. n. 7. & seqq. Niell. disp. 8. th. 4. Quò, brevitatis
studio, remittimus. Excipitur etiam Minor, c. si
minori, & c. si quis decesserit. 2. F. 26. Secus de jure Sax.
Cöler. decis. 89. Praterè excipitur Ecclesia c. 101. ex-
traord: & feudum ita datum, ut pro eo fidelitas non preste-
tur. 2. F. 3. in fin. & 2. F. 24. §. 1. in fin.

Porro, si, indictà publicà expeditione, spacio competen-
ti venire, temerè supersederit, vel alium pro se, acceptabilè
Domino, mittere, cōtemserit, vel dimidiū redditus feudi unius
anni Domino non subministraverit 2. F. 55. §. firmiter. 1. In-
super, si vasallus, filio suo, vel subvasallo Dominum offen-
dente, à Domino requisitus, ad satisfaciendum Domino,
B 2 illum

illum non deducat, vel à se separet. §. insuper. 2. d. t. Item, si vasallus rescierit, aliquem contra Dominum suum, assultum, vel mortem, vel captionem, aut grandem patrimonii jacturam molientem, illudq; dolo, vel negligentia sua, vel fraude celaverit. 2. F. 24. §. 2. vers. praterea, si vasallus: etiam de jure Saxonico. Cöler. decis. 205. & ibi allegati in Additione. Unde λίαν μέγα αίτημα, quod animam Bartoli, juris aquila, illud in l. 6. ff. ad l. Pomp. de parric. cum textu asserentis, ob id in inferno sepultam cruciari, tradunt Bald. & alii, quos refert, & sequitur Borch. c. 8. n. 108. Deniq; si Dominum suum, cum quo in praelium venit, in acie periclitantem dimiserit. 2. F. 24. §. 2: aut à morte, si potuerit, non liberarit. 2. F. 39. in fin. feudo vasallis cadit. Et tantum de feloniam adversus Dominum.

VII.

Ex uberrima thesoro precedentis materia pulcherrimi pullulascunt quaestionum flosculi, quorum insigniores delibaturi, quaerimus, An vasallus, quocumque modo contra juramentum, fidelitatis peccans, feudi privatione sit mulctandus. N. (a)

(a) Vulgatum hoc est, & commune axioma, secundum Rosenth. d. c. 10. concl. 8. lit. F. Illud tamen nimis generale esse, vel ex eo patet, quod, quoad contractus, licet Vasallus in iis periurium committat, vel etiam ob infamiam facti iudicio privato notatus sit, beneficium non amittat, Rosent. d. concl. 8. 58. lit. C. in not. & 67. lit. E. Niel. disp. 8. th. 5. lit. K. Adde text. 2. F. 24. vers. sed quia, & vers. illud enim certum: & 2. F. 7. verb. pro posse meo, quam cito potero, prout potero. Conf. s. th. 3. lit. C. Ideoq; à Duar. c. 14. n. 1. & Niel. d. disp. 8. th. 5. lit. A. & L. in fin. improbatur.

VIII.

Q. 3. Quid si vasallus manum tantum adversus Dominum

mnium allevavit, gladium strinxit, occidere iuravit, sed, ante effectum, pœnitentiâ ductus, intermisit, an feudo sit privandus? N.

I. Ob defectum textus, arg. N. 18.

II. Ideoq, arbitrio iudicis committendum. 2. F. 24. vers. sed quia. Iudex autem bonus ac discretus in dubio magis ad absolvendum, quàm condemnandum proclivis esse debet. l. 155. §. 2. ff. de R. I. c. 15. & 49. t. eodem in 6. l. 5. pr. ff. de pœn. Text. notab. 2. F. 28. vers. ad hoc. circ. fin. Ideoq, LL. capitalem pœnam in conatum statuentes per generalem constitutionem abrogatas, ait Spec. §. 1. t. de accusat. Br. in l. 1. §. Divus ad L. Corn. de sicar. maximè Jure Saxonum, quorum moribus non affectus & conatus, sed tantùm effectus delicti punitur, Reinhard, diff. pœn. 6. per c. 36. Lehenrecht. VVesenbec. in Par. ad L. Iul. de adult. n. 5. Excipimus tamen cum Claro lib. 5. recept. sent. §. fin. q. 91. & 92. n. 2. crimen lesa maiestatis, oppugnata patria, simonia, & veneficii. & c.

I X.

An extra territorium Domini bellum gerentis, propriis sumtibus, ei vasallus servire cogatur, nisi feudum velit in commissum cadere? Quod affirmare non dubitamus.

Q. 4.

I. Per c. 1. F. 5. vers. si enim Dominus pr alium campestre: vers. & si scivero. 2. F. 7: 2. F. 23. in fin: & 2. F. 24. §. 2: 2. F. 28. & 54. l. 18. ff. de oper. libert. text. Lehenrecht. c. 4. vers. Sechs Wochen sol der Mann reysen / vnd seinen Herrn dienen bey seiner selbst Kost. Cöl. decis. 82. & 91.

II. Publicè interest, ideoq, commune & tacitum omnium votum, ut bella non in territoriis, sed extra territoria gerantur. Publicus autem favor privato praponitur. Auth. res qua. C. comm. de leg.

B 3

III, Sena



III. Sentiens commodum, sentiat etiam incommodum, arg. l. 15. §. 4. ff. locat. l. 8. & 18. C. eodem.

IV. In justo bello quilibet tenetur suam navare operam sine loci, temporis, & modi exceptione 2. F. 53: c. Dominus 23. q. 2. E. multò magis vasallus, cuius beneficio servitia naturaliter insunt. §. firmiter 2. F. 55.

Qua tamen opinio, uti in *συππάρα* patebit, cum grano salis accipienda, praesertim de jure Saxonico, ubi hodiernâ consuetudine, Der Lehenmann zeucht auff des Lehenherrn Futter vnd Mahl/vnd dienet ohne Besoldung. Cöler. decis. 82. n. 3. conf. in simili Constit. Elect. 51. & 52. p. 2. & ibi. Moller: ut & in Semestr. lib. 2. c. 31. & Recess. Misn. Anno 1572. p. 5. Von den Barwühren.

X.

Q. 5. 6. 7. Cognata præcedenti sunt, An vasallus Dominum contra patrem, sub pœna privationis, teneatur juvare, (a) egentem alere (b) æs alienum pro illo solvere (c) filiam dotare. (d) Negamus.

(a) 1. per l. 15. ff. de condit. instit. & l. 14. in fin. ff. sol. matr. Effet enim contra jus divinum, in 4. Decalogi præcepto repetitum, contra jus naturale & gentium, l. 1. & 2. ff. de I. & I. l. 4. & 5 §. 16. ff. de agnosc. vel alend. lib: Contr. jus Can, c. in malis, 22. q. 4: contra jus civile, l. 9 ff. de obseq. par. l. 1. & passim ff. ad L. Cornel. de sicar: N. 12. c. 2. imò etiam contra jus feudale: juramentum enim fidelitatis continet in se honestatem & possibilitatem. 2. F. 6. Quid autem inhonestius, quam patrem, per quem lucem hanc suavissimam aspeximus, luce privare? Et, qua honestè non licent, ea nec facere nos posse, credendū est. d. l. 15. ff. de condit. instit. & l. 23. ff. de stat. hom.

II. Inhumanitas & crudelitas quo vis homicidio est peior, l. ult. C. de infant. expos & arg. §. fin l. de nox. act: Quod ad contrariam sententiam accommodat Iul. Clar. ad. §. homicidium. n. 59. recept. sent. (b) Vide

(b) Vide *ſ th. 4. lit. E. in fin. Adde Vult. lib. 1. F. c. 10. n. 35. Rittershus. in partit. feud. q. 40. lib. 2. c. 1.*

(c) *arg. t. C. ne fil. pro pat. vel vafal. pro patr. conven. Zaf. part. 7. n. 47. Rittershus. q. 41. d. loc.*

(d) *Ob easdem rationes, vel etiam pragnantiores. Nulla enim est inter filiam domini dotandam, & vafallum, legitima paritas, nulla proportio, ſi jus ſcriptum inſpiciamus, licet ſecus de conſuetudine Germaniæ. Dn. Prac. Fem. c. 1. ad. t. ff. de jur. dot.*

XI.

Frequenter de frequenti hoc & eleganti diſquiritur problemate, An ob neceſſitatem æris alieni ſolvendi, vel famis, inſcio Domino, vafallus feudū ſine pœna alienare poſſit? N.

Q. 9.

I. per text. 2. F. 9. verſ. neceſſitate namq. ſuadente poterat OLIM.

II. Ratio eſt, ne vires Imperii attenuentur & vafalli omnibus exhausti bonis, ſervitia ſubterfugiant. Ius igitur publicum privatorum pactis non mutetur, l. 38. ff. de pact. l. 45. ff. d. R. I.

III. De alieno largiri, eſt ſpecies furti, per l. 54. ff. de furt. Quanto igitur magis, alienum proſus alienare, cum ſcias, proprietatem ad alium ſpectare 2. F. 8. §. 2.

Sunt tamen nonnulli caſus, & cautelæ, quibus alienare feudum, permiſſum, ut videre eſt plenius ac planius ex Borch. c. 8. n. 74. & aliis Dd. communiter.

XII.

Satis vexatæ & intricatæ ſunt quæſtiones, an feudum hypothecæ (a) vel in dotem dari (b) poſſit. N.

Q. 10. &

11.

(a) *per l. 7. C. de reb. al. non alien l. 28. de V. S. c. un. §. fin. 2. F. 8. & 2. F. 52. & 55 l. 1. pr. & l. 20 ff. de pign. act. l. 5. §. 1. ff. de pign. & hypoth. l. omnino ff. de ſponſ. l. cū quid. de R. I. in 6. l. 3. §. 2. & 3. C. commu: de leg. Conſt. Elect. Sax. 23. p. 2. & ibi Moll. n. 7. & 33. niſi fiat pro pretio emti feudi. Moll. d. lo. n. 14. Diſſ. Borch. c. 8. n. 60. cum ſeqq. & Dd. communiter.*

(b) Pro-

(b) Propter generalitatem textus 2. F. 9. & 55. Nisi fiat, obligatis duntaxat feudi fructibus. Zas. part. 9. nu. 8. Mynsing. cent. 4. obs. 56. & 86. Dn. Præc. Fom. c. 2. in fin. ff. de jur. dot.

XIII.

Q. 12. τήματα, Nec minùs anfractuosa, & confragosa sint (a) impunè queat, aut filio, justè etiam exheredato, per dispositionem adimi. (b) N.

(a) Nec pro anima. d. c. un. §. donare. 2. F. 8. Nec Ecclesiæ 2. F. 13. vers. si clientulus. Curt. jun. part. 1. q. 2. pr. & part. 4. nu. 125. Nec etiam de jure Canonico c. 5. de testam. c. 6. de don. int. vir. & ux. c. de forma. 22. q. 5. c. 7. de constitut. Diss. Bl. ad d. c. 7. & frequens Dd. Schola alibi passim. Nec æstimatio debetur. per fin. pr. 2. F. 8. verbo, nulla. Curt. jun. d. part. 4. n. 126. limit. 5. Dn. Præcept. Arum. in prælect. feud. pag. (wibi) 106. Rosenth. c. 7. concl. 4. Fachin. 5. contr. 37.

(b) per text. generalem 1. F. 8. in fin. pr. & 2. F. 45. Diss. Curt. jun. part. 3. princip. memb. 2. n. 6. & 7. Conf. latissimè Hartm. Pist. lib. 2. p. 1. q. 4. Cöler. decis. 78.

XIV.

Q. 14. 15. 16. 17. 18. Nec omninò convenit inter Doctores, An servitutem realem feudo imponere (a) & de eo transigere, (b) illud subinfeudare, (c) dividere, (d) refutare (e) possit vasallus? A.

(a) c. un. vers. rei autem. 2. F. 8. scilicet in sui præjudicium; non in Domini. Hartm. Hartmanni t. de Feud. 54. obs. 28. 34. & 35. Dn. Præcept. Arum. Disp. F. 7. th. 12. Diss. Vult. c. 10. n. 40.

(b) 2. F. 26. vers. si vasallus de beneficio: & 2. F. 43. Hart. Hart. d. obs. 34. n. 2.

(c) 2. F.

(c) 2. F. 3. §. 1. vers. per feudum tamen. 2. F. 9. vers. si vero. 2. F. 26. vers. beneficium. 2. F. 34. §. 2. Myns. cent. 1. obs. 62. Hartm. Pist. lib. 2. part. 2. q. 44.

(d) Feuda minora & inferiora hinc accipimus; non regalia, ex text. 2. F. 55. §. 1. vers. prater à Ducatus: & vers. prater à. 1. F. 5: vers. omnes. 2. F. 26. Curt. jun. part. 4. n. 124. Const. Elect. Sax. 45. part. 2. licet, quoad jus simultanea investitura, à communi jure jus Sax. differat, Moller. ad d. const. n. 7. Conf. Cöler. decis. 94. & seq.

(e) 2. F. 9. & 14. 2. F. 38. & 44. in fin. 2. F. 39. in fin. 2. F. 49. Fachin. 7. contr. 60. etiam de jure Saxonico. Cöler. decis. 92.

XV.

Ardua & latè diffusa de subinfeudato movetur quæstio, an feudum alienaturus, Domini superioris, vel inferioris, consensum adhibere teneatur? Nos, mediâ incedentes viâ, utriusq; requiri, tutius putamus.

Q. 19.

I. per text. 2. F. 55. vers. illud quoq;. II. Vtriusq; enim interest, superioris, ratione proprietatis; inferioris ne ipsi invito, obtrudatur vasallus. Fach. 7. contr. 53. Dn. Precept. Arum. in prelect. feud. p. (mibi) 125. Schrader. part. 8. c. 2. n. 26. III. Per ea, quæ in simili, de pignore & hypotheca tradunt Moller. ad Const. Elect. 23. p. 2. n. 34. Cöler. de process. exec. part. 1. c. 10. n. 202. Dissentiunt varii variè, ut videre est ex Fach. d. lo. Hartm. Pist. lib. 2. part. 2. q. 45. Borch. c. 8. n. 52.

XVI.

Non minùs intricata, & variè à Dd. ferram reciprocantibus, hinc indè exagitata, quàm jucunda, est quæstio, An infeudante mortuo, subinfeudatus, debita superiori Domino servitia præstiturus, jus suum retineat? A,

Q. 20.

C

I. per



I. per text. 2. F. 9. in fin. pr. & 2. F. 55. §. 2. vers. illud quoque
 Fach. 7. contr. 52. Arnold. de Reyg. Disp. feud. 4. coroll. ult. II. Pro-
 babilitatem invenit hac opinio ratione Domini, & vasalli. Nam ra-
 tione vasalli, surrogatus sapit naturam sui surrogantis, per c. un. 2. F.
 24. Latè Everhard. in Top. Loc. à vi surrog. Nec interest, quomodo
 quid fiat, modo fiat, surrogato præsertim eo, qui æqualis sit conditio-
 nis in moribus, in scientia, in peritia. l. 1. & ibi Br. C. de præpos. ag. in
 reb. Everh. d. lo. n. 6. gl. in c. un. 2. F. 36. Quod hinc fieri præsumitur
 ex natura subinfeudationis 2. F. 34. §. similiter. Ratione Domi-
 ni, usu sæpius comprobatum est, omnem mutationem, subitanam
 præsertim, esse periculosam. arg. N. 69. c. 4. Quin, detrectare vasal-
 lum ad servitia paratum, mere esset invidiæ, quæ dicitur arbor,
 Invidiæ de-
 scriptio. cujus radix est malevolentia, cujus frondes ira & odium, cujus
 flores irrisio & derisio, cujus fructus æmulatio & detractio,
 cujus folia livor & pallor. Archidiacon. in c. aliàs Dist. 25. ut est
 additio hinc ad Christoph. Porc. (inquit Schneidvvin. n. 4. Inst. de L.
 Fus. Canin.) Quæ sanè à Domino feudi exulare omnia debent. arg. c.
 un. in fin. 2. F. 6. III. Hæc sententia æquitati magis est consenta-
 nea. arg. text. 2. F. 28 circa med. Diss. Hart Pist. lib. 2. part. 2. q.
 44. n. 7. & seqq. Clar. in §. feudum. q. 32. n. 5. & interpp. commun.

XVII.

Hactenus de feloniam vasalli in Dominum ad-
 missa: sequitur *felonia in extraneum*, hoc est, in aliū,
 quam Dominum, commissa, utpotè fratricidio, (a)
 proditione (b) vel alio atrocissimo crimine perpe-
 trato, ob quod honestè in curia Domini stare ne-
 queat. (c)

(a) 2. F. 37. & 1. F. 5. vers. item, si fratrem suum occiderit, vel
 nepotem, id est, filium fratris, per l. ult. in fin. C. de impub. & al. subst.

(b) d. c. un. 2. F. 37. verb. hominem tradendo. Vult. d. c.
 11. n. 35. Arnold. de Reyg. disp. 4. th. 29. Rosenth. d. c. 10. concl.
 62. & 65. Dn. Præc. Arum. disp. feud. 8. th. 12.

(c) 2. F. 24. in fin. vers. si verò: & 2. F. 37: l. 1. ff. ad L. Pomp.
 de parric.

XVIII.

Merito hinc quaritur, An omne crimen, quod
 ex LL.

ex LL. publicorum judiciorum descendit, vasallum honestè in curiâ stare vetet? A (a) modò sit commissum improbo & nefario consilio, (b) utpotè incestus, (c) crimen læsæ Majestatis (d) hæreseos manifestæ. (e)

(a) ex text. 2. F. 37. Hotom, disp. 41. Hackelm. disp. 8 feud. th. 15.

(b) 2. F. 24. vers. illud enim. Conf. suprâ th. 3. lit. C.

(c) Zas. part. 10. n. 19, Borch. d. c. 8. n. 105. Rittershus. in parit. lib. 2. c. 5. q. 120. per. c. un. 2 F. 56. vers. & bona contrahentium incestas nuptias.

(d) c. 5. vers. si qua. de pœn. in. 6. c. 12. vers. sacri. extra cod. l. 5. §. 1. C. ad l. Iul. Majest. Vult. d. c. 11. n. 36.

(e) per l. 4. & Auth. si verò. C. de hæret. & Manich.

XIX.

Et hæc quoq; de causis, ob quas vasallus feudum amittit, legitimis, dixisse sufficiat: sequuntur *arbitraria*, quæ, tanquam incertæ, arbitrio æqui, solertis, & discreti judicis, argumento certarum & legibus expressarum, definiendæ relinquuntur.

per text. 2. F. 24. vers. sed quia: & 2. F. 28. vers. bonus tamen judex. Vult. d. c. 11. n. 14 & 16. Rittershus. lib. 2. c. 5. q. 4. Hujusmodi causæ sunt, quales propter identitatis rationem inspersas reperire licet in quest. præced. & passim apud Feudist. Latissimè Rosenth. c. 10. per tot. Schrader. part. 8. & 9: Zas. part. 10. in Epit. feud. Borch. c. 8. Curt. jun. part. 4. princip. Rittershus. lib. 2. part. c. 5. Vult. lib. 1. c. 11. Schneidvv. in us. feud. Epit. part 8. c. 1: ubi 49. causas recenset, easq; quandoq; extendit.

XX.

Sic causas amissionis ex parte vasalli vidimus. Quæ an locum habeant in nondum possidente, qui vel abusivè saltem investitus, vel adhuc, spe factâ, investiendus est, præsertim de jure Sax: non omni scrupulo caret. Negamus.

C 2

Exemplo

Exemplo sit petitio investiture de feudo adhuc viventis, quam non necessariam esse, statuimus cum Arnold de Reyg. Disp. 4. feud. coroll. 2. Inirigl. q. 95. n. 100. Hartm. Pist. lib. 2. p. 2. q. 3. 1. Aut, si futurus vasallus, feloniam, vel quasi, commissam, investituram petat, Dominus investire eum cogitur. Vult. d. c. 11. n. 51. Nam non Entis nullae sunt qualitates, & privatio praesupponit habitum, ex vulgatis Logicorum & Iurorum Brocardicis. Atqui impropria investitura, nedum spes investiture, veram possessionem non inducit, sed tantum apprehendendae possessionis facultatem. Giphani. disp. 4. feud. th. 6. & ibi alleg. Adde Text. 1. F. 3. 4. & 9: 2. F. 2. pr. c. un. vers. si facta. 2. F. 26. & 2. F. 22. Diff. Rosenth. c. 10. concl. 104. Zas. p. 19. num. 78. Conf. Cöler. decis. 88. & 93.

XXI.

Q. 23.

Eadem occasione nodosa venit quaestio explicanda, an, si Dominus, vasallo unâ, vel pluribus praedictarum amissionis causarum committente, in vita non fuerit conquestus, ejus successores feloniam illam in vasallo, vel ejus haeredibus, privatione feudivindicare & mulctare possint? N.

Nisi Dominus commissum ignoraverit. Curt. jun. part. 4. n. 156. Arnold. de Reyg. disp. 4. feud. coroll. 1. Hartm. Pist. lib. 1. q. 35. & lib. 2. p. 1. q. 16. praesertim si sit feudum antiquum. Schrader. vol. 1. conf. 1. n. 68. & 81. Fachin. 7. cont. 23. Knichen. de Sax. non prov. jur. c. 5. n. 419. & seqq. Conf. Rittershus. 2. F. 7. q. 10. Deinde, nisi feudum ipso jure sit commissum Vult. d. c. 11. num. 57. Schrad. d. conf. 1. n. 635. Fach. 7. cont. 104.

XXII.

Regula
Dd.

Visis jam etiam quaestionibus ad feloniam vasalli spectantibus, videndum restat *DE FELONIA DOMINI*. Quam regulariter ex iisdem, vel contrariis causis Dd. metiuntur. (a) Quod tamen universaliter verum non crediderim. (b)

(a) per text express. 2. F. 26. vers. Domino. & 2. F. 47. 2. F. 6. in fin. arg. 2. F. 58. in fin. pr. ac. ibi Cujac. Rittersh. lib. 2. c. 4. q. 1. & seqq. Zas. part. 7. n. 56, & c.

(b) licet

(b) licet enim Bl. hanc determinationem dicat esse sanctam, & terribilem: usu tamen parum observatur. Nam, non amplius, ut olim, à Domino juramentum calumnie exigi potest, 2. F. 33. in fin. pr. & S. r. nec juramentum fidelitatis, ut à vasallo etiamnum hodie 2. F. 3. & 6. & 2. F. 7. §. 1. verb. fidelitate subsecutâ. Vult. lib. 1. F. c. 10. n. 37. Dominus enim æquiparatur patrono, gl. & Dd. ad c. un. 2. F. 22. qui liberto nec reverentiam debet t. t. ff. & C. de obseq. patr. prest. Secus de jure Saxonico, cum Rex eligitur. lib. 3. Landr. art. 54. Quid quòd Dominus feudi proprietatem potest oppignorare? arg. l. 2. C. de usufr. Rittersh. d. l. q. 4. & in pios usus conferre. 2. F. 54. Rationem diversitatis reddit Niell. Disp. 8. th. 1. lit. e. Rittershus. 2. F. 6. q. 10.

XXIII.

Hic non intempestivum est, jucundas illas, & usui utiliter, inservientes quæstiunculas obiter inspergere, an Dominus invitos vasallos possit alienare, (a) pro investituræ renovatione laudemium postulare (b) taleas seu gabellas, hoc est, exactiones & collectas imponere (c) vel cogere subditos, ut in molendino Domini frumentum confringendum, & panem in furno ejus coquendum curent, (d) vel cerevisiam nõ nisi ex caupona, vel arce Domini emtam distrahere. (e) De jure negativam puto veriorrem.

(a) arg. text. 1. F. 22. vers. si quis. 2. F. 8. & 25: 2. F. 34. §. 1. 2. F. 55. §. 1. in fin. Hartm. Pist. lib. 3. q. 22. licet de facto sæpissimè soleat contingere, ut, quasi misera ovicula, vendantur, vel, otiosæ & odiosæ liberalitatis superbiâ, gratis quibuslibet conceduntur. Ampliss. & Clariss. vir, Dn. Virg. Pingiccer ad L. 26. C. de Transact. per gl. in l. nec infantes. 36. ff. de fideicom. libert. Clar. S. feudum q. 28. Heig. part. 1. quæst. jur. tam civ. quàm Sax: q. 19. n. 13. & per tot.

(b) Nec enim jure feudali tale quippiam est proditum, Rittersh. lib. 2. partit. 6. q. 6. Quin potiùs, bonâ consequentiâ, contrarium elici potest ex vers. Feudum. 1. F. 27. & vers. beneficium 2. F. 23. juncto c. gratia 1. q. 1. Consentit Constitutio Electoris Saxonie,



Divi Augusti, pia memoria, Misniae decreta. t. Von der Lehenwahr:
Vbi tamen merito excipitur titulus lucrativus, & nisi praescriptio
(Constit. 1. & aliq. seqq. part. 2: t. t. ff. de usurp. & usucap: C. de praescript. 30. vel 40. annor: & long. temp.) vel consuetudo aliud induxerit, per text. 2. F. 1. in fin. pr. l. 32. & seqq. ff. de LL Vide Eburf. Morizen vnd Herrogen Augusten Ordnung. pag. 61. & 140. in Edit. Anno 1573. & pag. 51. & 114. Edit. Anno 1596. Heig part. 1. q. 18. n. 15.

(c) I. spectat enim ad Regalia. 2. F. 56. II. p. t. t. C. vectig. nov. inst. non posse. Conf. eruditissime & plenissime hac de re differentem Heig. part. 1. q. 17. per tot. & q. 18. n. 1. 15. & seqq. & passim. Rittershus. d. c. 4. q. 7.

(d) I. Ibi enim res omnis dependet ex locationis & conductionis contractu, qui consensum de essentia requirit; coactionem aversatur §. 1. de oblig. ex consens. II. Sunt actus mere facultatis, vel voluntarii, quae raro praescribuntur, per ea, quae tradit VVesenb. in Par. n. 6. ff. de resc. vend. & Dn. Praes. ad t. ff. de usurp. & usuc. Consentiant Scabini Lipsens. & VViteberg. in recess. Misn. Anno 1572. p. 5. t. Ob neue Windmühlen oder Wassermühlen an die örter mögen gebauet werden/da zuorn keine gewesen/ & tit. von den Zwancmühlen vnd Bäckoffen. Conf. Clar. in S. feudum. quest. 30. Hartm. Hartm. t. de servitut. 24. obs. 2. n. 3. Rittershus. d. q. 7. Ubi Exceptiones afferuntur.

(e) I. Est enim jus emtionis, & venditionis ex jure gentium. l. 4. ff. de I. & I. quod apud omnes populos peraeque custoditur. §. jus autem civile, vers. quod verò naturalis ratio. I. de I. N. l. 9. in fin. ff. de I. & I. II. In Emptione etiam, non nisi consensu fit obligatio. d. §. 1. I. de oblig. ex cons. l. 2. ff. de O. & A. III. Hac ratione tributum superioribus admittitur. Quod est contra tertium juris praecipuum, postulans, suum cuique tribui. §. juris praecipua. Inst. de I. & I. Quia tamen juris civilis nonnihil Limitatio. admixtum est, non nego, certis ex causis, pro ratione locorum & temporum, hoc jus à summo magistratu, vel ejus vicariis, variari posse, per l. 6. ff. de I. & I. l. 35. ff. de R. I. Vel praesumpto, Nestoreo usu quaesito, & privilegio mixtionem juris communis redolente, quod ne Princeps quidem tollere, aut minuere valet. Knich. d. lo. n. 444. Vel consuetudine & transactione, prout in Ditione Electoris Saxoniae pagi quidam certi ad certas civitates, & Nobiles, quoad Cerevisiae jus, certis temporibus & conditionibus sunt alligati, quod

quod videre est aus benen Anno 1537. ex mandato Electoris Ioannis
Friderici erörterten Landgebrechen. Adde c. 11. Dist. 76. Ex quo ra-
tio reddi potest.

XXIV.

Modis amittendi feudi *EX CVLPA* tum vasalli,
tum Domini, expeditis, cōsequens (a) est, ut aliquid
addamus *DE FEUDI FINITIONE* quæ est feudi *SI-
NE CVLPA* amissio, quâ ἀπλῶς, omninò, & totaliter
extinguitur, feudumq; esse desinit (b) Quod fit vel
ex causa per se, (c) vel ex causa per Accidens. (d)

(a) Secundum Divisionem suprâ in th. 2. factam.

(b) Suprà th. 3. lit. f. in fin. Vult. d. c. 11. n. 3. Hartm. Pist. lib.
2. part. 2. q. ult. n. 12. 15. & 25.

(c) Puta voluntate & conventionem, eâq; vel expressâ, ut re-
sutatione, de quâ suprâ th. 14. lit. E: vel alio modo, de quo suprâ th. 5.
lit. d. Sic feuda temporalia Guardia & Castaldia, anno elapso, exspi-
rant. 1. F. 2. & 11: xord. t. 94: Ritterhus. lib. 2. F. 6. q. 7: Schrad. part.
2. c. 4. n. 25. & seqq. & à minoribus vasalioribus in alios translata,
quandocunq; voluerint. 1. F. 5: Quod quidam mutatum putant. 1. F.
7. & 1. xord. 74. Tacitâ, ut Clericatus assumptione 2. F. 21. 30. & 36,
etiam de jure Saxon Hartm. Pist. lib. 2. p. 2. q. 33. n. 12. Cöler.
decif. 90. Limitationes vide apud Curt. jun. memb. 2. tert. part. princ.
n. 24. & seqq. præscriptione libertatis Vult. 1. F. 11. n. 10. tam quoad
Dominum, quàm quoad vasallum. Clariff. Dn Prac. Fom. in synopsis.
feud. th. 294 & seqq. Niell. Diss. 8. th. 6.

(d) Casu videlicet accidente persone, vel rei: Personæ vasalli,
morte naturali, si sine herede masculino, generatione quasi finitâ, deces-
serit. 1. F. 6. & 20: 2. F. 11. Schrad. vol. 1. conf. 1. n. 357. & conf. 12.
n. 311. & vol. 2. conf. 21. n. 29. nisi sit feudum antiquum. Schrad. d. l.
conf. 1. n. 58. Vel morte civili, hoc est, mediâ & maximâ capitis di-
minutione, arg. l. pn. C. de usufr. vers. exceptâ. Vult. 1. F. 11. nu. 8.
Niel. diss. 8. th. 1. lit. a. & Diss. 4. in coroll. vel aliâ inhabilitate 1. F.
6. s. 2: 2. F. 14 & 36. Rittershus. 2. F. 6. q. 10: Hartm. Pist. lib. 2.
part. 2. q. 32: Morte autem Domini, vasallo dominium non
consolidatur. Niel. Diss. 8. th. 1. lit. E. Diss. Vult. d. c. 11. n. 7. &
110. Casu accidente rei: cujusmodi plures recensent Vult. d. c. 11. n. 5.
Niel. 8. th. 1. lit. a. Rittershus. d. q. 10. Hartm. Pist. lib. 2. p. 1. q. 15. & c.

Et hæc de Feudi amissione tam in Genere, quàm in Spe-
cie, posuisse sufficiat. Corol-



Corollaria.

I.

Corpus juris Canonici VViteberga 10. Decemb. Anno 1520. prout videre est ex Tom. 2. Ien. Lat. fol. 316. & seqq. Megalander ille, Divus Lutherus, combussit. Quem excusari posse, statuimus, interim non negantes, illud magno cum fructu licitè in Academiis sincerioribus, non propter auctoritatem Pontificis, sed propter usum, doceri. Vndè etiam in Academiis non confirmatis à Pontifice I. U. Dd. creari legitime possunt.

II.

Grandem ICTo dicam scribere quidam non verentur, quòd absq. ratione dubitandi asserat: si maritus, qui per decennium absuerat, reversus, anniculum in domo sua invenerit, hunc non esse filium l. 6. ff. de his, qui sui, vel al. jur. Quorum precipit atam in carpendo temeritatem, lege penitius inspecta, refelli posse, confidimus.

III.

Vetus est, & ἀστρονδον ferè inter ICTos & Medicos dissidium, an illi his preferendi? Quod ἀβασυάωνος asserimus.

IV.

Verè philosophantes contemnunt pecuniam l. 8. §. 4. ff. de vacat. & excus. mun: Mercenariam operam spernunt, & Professorum numero non sunt. l. 1. §. 4. ff. de extraord. cog: illorumq. scholæ dicuntur otiosæ c. 15. Dist. 38. Ars mathematica damnabilis est, & interdicta omnino. l. 2. in fin. C. de malef. & mathemat. Quo sensu, ne quis calumniatur, videbimus.

V.

Leges ICTorum variis ex fragmentis compilatas, annu-
liamq. & historiarum imperitiâ, Interpp. non raro aluci-
natos, condolendo deprehendimus; non repre-
hendimus.

Sic finem faciens, quaero, meliora doceri.

X2617642

1017








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



MIS-
m beni-
onsultorum
suffragio
D. PAN-
ovincialis &
im colendo;
ERUS,
ditorio,
ANNI,
MICos.

1609, 2
12

15

